

gasti, *Holfatorum* Schlesvici, aliorum alibi, de quibus *Draco* in  
 15 *Discurs. de Orig. & jur. patricior. lib. 1. c. 9. n. 8. & 9.* Idque etiam o-  
 lim apud Athenienses in usu fuit, apud quos, teste *Plutarcho* in  
*Theseo*, vulgi sepulcra erant in Elevteris, Principum verò  
 16 circa Eleusinum. Sic arcam lapideam, cujus mentio fit in  
*l. 7. §. 1. ff. d. religios.* plebejorum sepulcri genus fuisse, ex *Lucano*  
 demonstrat *Gothofred. ad d. l.*

### CAPUT III.

## De modis jus sepulcrorum acqui- rendi.

### CONSPECTUS.

Sepulcrorum Jus variis acquiritur modis, ut Primò: Electione. 2. Approbatur de jure  
 Civ. Rom. 3. Hodie non est privati arbitrii sepultura. 4. quilibet sibi sepultu-  
 ram eligere potest, etiam mulier nupta. 5. Filius familias. 6. Non v. reli-  
 giosi. 7. Electio hæc etiam fieri potest in testamento. 8. Qv. si testator in suo  
 testamento dixit: jubeo corpus meum sepeliri in tali Ecclesia & illi Ecclesie  
 relinquo tale anniversarium, postea autem mutavit sententiam, & sepul-  
 crum in alia Ecclesia fieri jussit, utrum transeat anniversarium relictum al-  
 teri Ecclesie primæ? Distingvit *Caceres.* 9. Refutatur. 10. 11. Contrarium pro-  
 batur per rationes allegatas. 12. 13. Limitationes subjiciuntur. 14. 15. 16. 17. Qv.  
 si in illa civitate ubi quis sepeliri vult, sint duo templa ejusdem nominis,  
 quodnam illorum intelligatur electum à testatore? 18. Qv. Si quis electio-  
 nem commisit alteri, & antequam alter eligeret, moritur, an possit ille,  
 cui facta est commissio post mortem illius eligere? 19. 20. Electio probari  
 potest quatuor testibus. 21. Semel facta, revocari tamen & immutari nihilomi-  
 nus potest. 22. Secundò acquiritur Jus sepulcrorum Ædificatione. 23. Ex  
 lapidibus olim extracta sepulcra. 24. certus locus quondam religioni desti-  
 nabatur, isque lapideò monumentò circummuniebatur. 25. interdictum de  
 sepulcrò ædificando. 26. ædificaturus propè ædes alienas determinatam in-  
 tercapedinem relinquere debebat. 27. nisi ædium Dominus sciens ita ædifi-  
 cantem non prohibeat. 28. Intercapedo illa LL. XII. Tab. determinata.  
 29. Ratio hujus constitutionis indicatur. 30. Ratio hæc apud nos nihil in-  
 fert, constitutio tamen nihilominus obtinet. 31. Magistratus non mortuo-  
 rum tantum sed & viventium curam habeat. 32. Qvæ. quid juris, si ex alienis  
 lapidibus sepulcrum fuerit ædificatum? 33. 34. 35. Exceptio traditur. 36.  
 Hodie hæc jura applicantur ad sepulcra Nobilium familiaria. 37. Sumtus ad